1582 ex 3a Martii — Ex libello impresso Vilnae

Moskiewskie

# Anna Poloniae Regina
## Antonio Possevino.

17

Reverende Devote nobis Dilecte. Pergratum est nobis studium D. V. cum ergà nos, tum ergà Ser:mos Sueciae Regem et Reginam affinem et sororem nostros charissimos. Fuit apud nos Generosus Christophorus Varsevicius à R. M:te Domino et Conjuge nostro allegatus, ex quo plenius rem omnem cognovimus. Quòd ad nos attinet, si bellum illud cum hoste semper ex animo deprecatae sumus, certè sopito eo, novum rursùs inter affines Reges (: quod absit :) excitari, nihil nobis acerbius posset accidere. Quantum igitur maximè poterimus, contendemus, ut hoc quicquid est, pacatis potiùs rationibus, quàm ullis alijs componi posse inter propinquos Reges videatur. Confidimus etiam, Dominum Deum pacis amatorem, et auctorem orationibus nostris non esse defuturum. Praeterea autem quicquid D. V. operae ad eandem rem conferre poterit postulamus, ne parcat labori industriaeque suae. Qui enim inter Majestates istas pacem confecerit, is demùm bello Moscovitico finem imposuerit. Commendamus nos orationibus D. V. — Datum Varsoviae die III. Mensis Marty Anno Domini 1582.

Meschica.